

ne non comprehendebat: neque dictis eorum credere uolebat: cū tamen oporteat addiscentem credere maxime expertis in arte: cogebatur tamen aliquibus credere: quæ oculo conspiciebat: ideo aliquid scientiæ inesse ueritatis credidit in libro de uita: qui insuper tantum rationi seminariæ alligatus est ut astronomos detestetur non aduertens contradictiones suas. F. Habeo. certe superius dixit rationi seminariæ dominari uenerem: celesti est materiam aliter: & aliter disponere. quoniam ergo ex dispositiōe superiorum disponitur materia aliter & aliter pro formis: & uirtus uel ratio seminariis similiter a uenere regitur: & disponitur. ergo ex radiorum superiorum confluxu ouæ formæ efficiuntur inchoantur: & perficiuntur: cuius oppositum dicit. Astro. Certe huius contradictionibus confusus inquit Quomodo cumque res se habeant: de futuris difficile ad modum iudicabitur quid noui præcise ex coniunctione stellarum confletur: quod astronomi fatentur: & plato in timeo dixit. harum uero stellarum curas & cæ. quid uero illorum serie nobis proveniat: & quibus temporibus absque diligentibus ipsorum inspectione uelle explicare est labor inanis. ergo hoc concessio est arguenda astrorum scientia: & repudianda. certe consequentia non tenet ut late infra dicitur tanta enim rerum mundalium est diuersitas: quæ in superioribus coniunctiones radiorum sunt diuersæ ut supra plotinus hic concessit: & quia omnia mundana comprehendere non licet. sufficiat nobis aliqua capere: ut scientes simus & plura affectare totis uiribus scire ut scientiores uel sapientiores efficiamur. sapientior namque est qui plura percipit & similior deo homo per doctrinam & scientiam fit quod maxime desiderare debemus: cum omnia deo assimilari intendant sicque ignorata non reprehendemus.

F. Finem horum appeto in tertio capite eadem fere repetunt: stellas uiuere: & sic natura eorum non est malefica: neque aliquis gradus signorum malus. in huius ergo non possunt planetae uel stellæ malæ fieri loco uel aspectu: dic aperte totum quod sentis. dicunt non itur ab extremo ad extremum sine medio: quomodo audet dicere planetam in angulo fortissimum: & statim post angulum debilissimum: & duodecim signum diuturniore moram trahit supra nos quam ascendens ergo magis agit in nos quam ascendens: & Ptolemeus asserit signum decimum fortissimum zael uero ascendente